

Chemiam tanto odio habere cœperunt, vt ipsius solo nomine audito inhorrescant, & (qua sunt facti mentis intemperantia) subinde vomere cogantur. Alij vero Chemica vehementer laudant remedia; sed quoties sua ipsorum negligentia Vulcanus vitium admisit, toties artem denuo laceffunt, vel traducunt demōstratorem. Neq; omnino minimus eorum numerus prodit, qui Chemico omnem eo vsque deferunt honorem, quo vsque sese extra metallicam mineralemve prouinciam exercet. nam ab illis maiori religione, atq; à ceraste aut vipera abstinentium censent. sed qua rationis vmbra id faciant, nequeo satis assequi. Nam si venenum illorum detestantur, quid viperam adhibent? qua neq; leprofius animal, nec minerale tam noxium reperitur. Adde insuper, tantam inter homines atque serpentes inditam à Deo esse *ἀντιπάθειαν*, quantam inter ipsum atque mineralia nunquam videris: adeoq; tantam, vt illorum solo vultu, tanquam humani generis perduelle quodam conspecto toti cōtremiscamus. Deinde cum sal mineralis non solum in omni vegetabili quo alimur aut alteramur, sed etiam in quoque animali reperitur: profecto aut nihil præbere ægrotis necessum est, aut ad mineralium vsum quamuis reluctante animo accedere. Præterea cum à Deo hunc ordinem sublunaris liturgiæ præscriptum esse sciamus; vt mineralia vegetabilibus, hæc brutis, brutaq; hominibus alimentum suppeditarent: quanta (Deus bone) stupiditas, quæ nos ignorãtia effascinat, ne maximã inter homines & mineralia similitudinẽ confiteamur? Rectius mea quidem sententia ille, qui hominem Microcosmum vocauit: vtpote in cuius natura, Dei,

E ;                    Ange-